1731

Deo optimo max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA.

Quodlibetariis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-nonâ Januarii.

M. PETRO MARAIS, Doctore Medico, Præſide.

An Dyſentericis affectibus Radix Braſilienſis?

IS alvi fluxus ſub quo ſomnus interpellatur, febricula oritur, frequens dejiciendi cupiditas ſollicitat, dolorque in ano eſt, & cùm ventris torſione, moleſtiſſimoque viſcerum omnium quaſi deſcenſu, exiguum aliquid cruore perfuſum emittitur, quo tormentum quoque intenditur, exiguam nonniſi requiem habiturum, Dyſenteria propriè dicendaeſt. Gradus in hac multi. Primùm quidem cruor manat, iſque modò cum ſtercore aliquo ſemper liquido, modò cum quibuſdam mucoſis excernitur: interdum & putris ſanies, cui fœditas odoris accedit, ſolet deſcendere; poſtmodum fibræ dejectionibus mixtæ egeruntur; tandemque etiam, ſi quando vetus vitium eſt, veluti carnoſa quædam deſcendunt. Sæpius hæc proprio ſymptomatum agmine ſtipata invadit, nonnunquam ſimplicem Diarrhœam ſubdolè imitata cuniculos agit poſt aliquod tempus in apertam perniciem eruptura. Sic quanquam alvum ſæpiùs quàm ex conſuetudine ferri uno die vel pluribus, dum febris abſit, ſæpiùs pro valetudine eſt, quoniam quod intus læſurum erat utiliter effunditur, ſuſpecta nihilominus habere debet ſua bona is, cui intrà certum tempus ventris impetus non conquieſcit; inde enim ſperare licet futura brevi Tormina. Dyſenteriæ vocabulo abutuntur quibus placet quamlibet alvi dejectionem cruentam ſic appellare. Sicubi vel ex humorum redundantiâ, ut ferè fit in his qui aliquo membro minuti ſunt, vel ex fibrarum quibus arteriæ conſtant atoniâ, vel ex ſanguinis interiori vitio, loturæ carnium ſimilis, ſincerusve nullo dolore ſanguis egeritur aliam eſſe cenſeas à dyſenteriâ ægritudinem. Nec intereà malè affectus dyſentericus habetur is qui, quanquam nullus cruor apparet, frequentes tamen habet, paucas, liquidas dejectiones, & dolorem ubi aliquid excernitur. Teneſmus quid? dimidiata dyſenteria; iſtic enim, quod ingenuinâ patiuntur inteſtina omnia, ſolum patitur rectum.

HÆ ſunt dyſentericorum affectuum facies. Inteſtina ulcere, ſaltem ulcuſculis depaſci omnes conſentiunt, ipſaque cadaverum ſectio demonſtrat; In quo autem maximeque inteſtino malum conſiſtat ex ſitu doloris intelligere licet; certiùs vero ex permixtione cruoris cum fæcibus vel exquiſitâ, vel nullâ; illud ſuperiora, hoc inferiora inteſtina affici ſignificat. Ulcus quidem nuſquam eſt niſi à materiâ acri, erodente quam, ubi interius vitium eſt, moles ſanguinea ſuppeditat; videlicet ea ſicubi humoribus excrementitiis redundat, illoſque ſic ſanguini incoqui contingit, ut vitia ſua neque per urinas neque per occultos cutis meatus poſſit eliminare, craſſiores ii tenacioreſque ſucci in arterias quæ inteſtina perreptant innumeras impelluntur. Accedunt & aliquæ particularum ſanguinis concretiones, inde enim humorum in iis partibus circuitu cohibito, plura congeruntur, glandulæ inteſtinorum diſtenduntur. Jam verò illæ continuo humorum appulſu irritatæ, quod ſibi moleſtum eſt, quoad ejus poſſunt, in inteſtina expuunt, quæ pariter fibris ſuis primùm quidem levi labore connituntur, crebris deinde dejectionibus brevi ſuo muco deſtituta, exquiſitiſſimo doloris ſenſu; inde exeſis vaſis, cruor, corraſis verò inteſtinorum tunicis fibræ, pus, carnoſa dejiciuntur. Neque abhorret à veriſimili Hepar, Pancreas, Meſenterium omnimodâ humorum colluvie laborare, cujus ſeroſior pars profluvio materiam ſubminiſtret, eoque magis ſi immoderatus fructuum fugacium eſus præceſſit & crebra ciborum ingurgitatio. Præter hæc ubi parùm cautos prima Autumni momorderint frigora, quatenus cutis conſtipatio ventris reſolutionem facit, ſicut ejus raritas torporem; Ubi auſtrina viguerit conſtitutio quæ nitroſum aëris ſalem, unde vita animalium alitur, plus ſatis diluat; ubi calor æſtivus ſpirituoſarum partium exolutione ſanguinem affecerit ſic, ut deinceps excrementis ſecernendis ſit impar; ubi aer minimè perflatus, vel miaſmatis impuris contactus corpus vitiavit, quemadmodum in militum caſtris & carceribus contingit, omnia hæc quæ plures & craſſiores humores, per alvum naturâ ſuâ excernendos, in corpore valeant cumulare, affectuum Dyſentericorum totidem cauſas eſſe intelligas, alias quidem aliis mitiores.

QUISQUIS ad morborum ejuſmodi curationem voluerit rectâ methodo aggredi, is maxime cogitabit quî impuram colluviem alui profluvium foventem vacuare, revellere poſſit, deinde quî partes diſtractas aſtringere, & ſanguini tandem depauperato novas vires addere valeat. Neque verò alvi fluxus terrere medicum debet quominùs purgantibus medicamentis rem agat quæ cauſam tollendo ſæpiùs ſola profuerunt. Minùs officioſa ſedulitas eorum eſt, qui de compeſcendo dolore unicè ſolliciti, aut fluore comprimendo, aſtringentia, opiata majori quantitate vel citiùs quam par eſt adhibent, voti quidem nonnunquam compotes; quàm ſupervacua tamen & triſtis opera impenditur! dùm poſt aliquod tempus vel tormina majore cum malo recrudeſcunt, quemadmodum ex ulcere obducto veriùs quàm ſanato quavis occaſione pus vetus ruptâ cicatrice erumpit, vel dolore quidem ſedato inteſtina immedicabili gangrænâ computreſcunt; quanquam huic penè uni morbo tutiùs opiata adhibeas quæ plerumque citò cum fæcibus ejecta cerebrum non invadunt. Qui ſeſe ad diaphoretica transferunt & alexipharmaca quibus ſanguinis tenorem reſtituant, coagulationes diſſoluant & in corporis habitum vitioſas partes propellant, ſi purgationem omittunt, temerariâ magis Medicinâ adjuviſſe putandum eſt, quam cautiores Medici non recipiunt, ſiquidem plura & tempora & genera periculi habet. Omnia hæc auxilia ne reſpuas, ſi modò ſuis quæque temporibus diſtribuantur. Præ cæteris tamen tutior & maximè legitima curationis ratio, meo quidem judicio, exiſtimanda eſt, quæ, non rejectis Paregoricis, & venæ ſectione quam dyſenteria cruenta maximè admittit, medicamentum adhibeat ſimul & revellens, purgans, aſtringens & quâdam Diaphoreticâ virtute donatum, cujus ope primariis ſatisfacias indicantibus, quæ his in caſibus occurrunt.

EXQUISITISSIMUM porrò iſtud naturæ munus Radix eſt plantæ cujuſdam exoticæ è Braſiliâ novi orbis regione ad nos delatæ. *Ipecacuánha* Luſitanis dicitur, Iberis *Beguquella*. Hæc præterquam quòd per ſuperiora purgat & inferiora, pluribus venenis eximiè adverſatur. Solemne adeo eſt incolis remedium tum adverſus venena, tum morbos pleroſque contumaces ex longâ obſtructione ortos, maximè verò alvi fluxus contumaces, Dyſenteriam, Teneſmum, ut nihil videantur veteribus invidere ſuum ἐμεζοεισμόν. Plantæ illius duæ exiſtunt ſpecies, quæ ſicut facie & radice differunt, ita & gradibus facultatum & natali ſolo. Alia humi depreſſa exiguior pratis gaudet, Pulegio non admodum diſſimilis, nam caulis foliis lanuginoſis exurgit multis, albiſque floſculis cingitur; Radix illius eſt craſſa, fibroſa, rotundior, albicans, Luſitanis ideò *Ipecacuánha Blanca*, quæ quod minùs turbet ventrem, & venenis maxime reſiſtat, alteri anteponitur, & pueris æquè ac gravidis adhibetur. Alia grandior caule ſemicubitali aſſurgit trinis inſtructo vel quinis tantùm foliis, umbroſa amat nemora, ſummo caule baccas profert nigras, paucas, Radice eſt tenuiori, tortuosâ nodosâ, ſaporis ingrati, acris. Exſiccatæ utriuſque plantæ radices in multos annos ſervantur, illæsâ quidem facultate diaphoreticâ, purgantem tamen partim exuunt. Apud Braſilienſes uſus eſt pulveris in ſubſtantiâ ad drachmam unam: infuſionis ad drachmas duas: pulverem verò ſemel infuſum, qui jam ad purgationem minùs efficax, denuò præbent, ubi aſtringendum potentiùs. His in regionibus vel ex juſculo mediocri, vel ex vino pari aquæ quantitate temperato ad drachmæ unius pondus adhibetur, & pro affectus contumaciâ pluries Dimidia doſis mollioribus naturis poſſit convenire.

SPECIFICA dari medicamenta quæ unico morbo debellando, parti unicæ ſanandæ, vel offendendæ ſint, nondum compertum eſt. Quo jure tamen febribus compeſcendis ſic convenit Cortex Peruvianus, ut eo nomine remedium ſpecificum audire poſſit: eodem & Radix Braſilienſis in hujuſmodi caſibus tanquam ſpecificum commendandum videtur; quæ eximia eſt ejus efficacitas & quàm longè poſt ſe conſueta relinquit remedia, maximè quæ vicaria illius volunt eſſe pervulgata emetica. Eſto ſanè magna virtutis portio oriatur ex particulis tenuibus, acutioribus, motu concitatiori præditis, (quibus omnia conſtant emetica medicamenta,) quæ partim in ventriculo receptæ, partim opeliquoris in inteſtina pervenientes ipſum, inteſtinaque moleſtant, unde ille ad vomitionem adigatur, hæc ad catharſim; quarum purgationum auxilio vel retortis ad ſuperiora humoribus vomitu, horum in ventrem fluentium impetus revellatur, ſimul & valida viſcerum concuſſione, & inteſtinorum ſtimulatorum repetitâ contractione, contumaces obſtructiones, item & glandularum, arteriarum, vaſorum lymphaticorum impura colluvies tum ore rejiciatur, tum per anum deturbetur; nihilominùs à vulgaribus emeticis, ſive ea ex vegetalibus, ſive è mineralibus licet conquirere, nequaquam talem curationem expectaveris. Scilicet Radicem Braſilienſem præter particulas emeticas, alias habere conjiciendum eſt minùs rigidas aut obtuſiores, quibus ex affluxu humorum diſtractæ, jamque noxio pondere ſublevatæ fibræ, ſic vellicantur, ut ad ſeſe accedentes ſenſim conſtringantur & coaleſcant; alias benigniori ſale donatas, quibus ſanguini ſuus vigor reſtituatur, & univerſi corporis exhalatio adjuvetur. Jam verò cætera emetica nihil habere ejuſmodi uſus demonſtrat: imò ſæpiùs acrioribus ſuis ſtimulis dyſentericum πάθος accerſere valeant, nedùm peculiari iſti remedio æquiparari. Accedit ad hæc magno ægrotantium commodo tenaces plureſque ſubcineritii coloris mucos illius ope educi, quod nulli alteri medicamento datum eſt, ſi modò verè dyſenterico affectui adhibeatur. Plane enim metuendum eſt ne dùm promiſcuè in curâ fluxus vulgò hepatici iſtud præſidii genus uſurpant malè feriati Medici, qui libenter amplectuntur ea præcepta quæ ſedulitatem non exigunt, iſtud remedium pravitate ſuâ infament, aliàs pluribus profuturum. Adeò ignota, quibus ars ditari poſſit remedia, ſiquis aliquando caſus (qui plurimùm in ipſis inveniendis valet,) agyrtis ſubminiſtrat, non ſunt rejicienda, imò, Hippocrate monente, medici juris facienda, quò verus ipſorum uſus innoteſcat.

Ergo Dyſentericis affectibus Radix Braſilienſis.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.



M. Petrus Bonnet.
M. Joannes-Baptiſta Renatus Moreau, Profeſſor Regius.
M. Nicolaus Pelletier.
M. Renatus le Comte.
M. Franciſcus Afforty.
M. Nicolaus de Iouvanci.
M. Rolandus Merlet.
M. Franciſcus Pajot.
M. Nicolaus Richard.

Proponebat Pariſiis LUDOVICUS DE VAUX, Pariſinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1690.